

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXLIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

CXLIII.

S. Clarissime vir, Domine & patrone observande.

Etiam si subdubitabam, de tabellarii ad vos adventu, tamen cum se in patriam nostram iturum promitteret, breve ei ad te epistolion dare volui, sive id cito, sive etiam tardius tibi offerretur. Adjunxi etiam Hodœporicon meorum itinerum, in quo tui etiam, honoris causa, mentionem feci, sed id breviter, prout temporis angustia tum ferebat. Tu meas hasce ineptias boni consules, & me esse scias eum, qui beneficiorum tuorum memoriam conservet sempiternam, & te studiosè revereatur & colat. In his locis mediocris est tranquillitas. Collegium nostrum, superioribus tumultibus pene incendio absumptum, splendide instauratur, & Professores satis idonei & multi juventutem docent. Causæ Rostochiensium tractatio hoc tempore apud Imperatorem suscipitur. Eò aliqui ex Senatoribus & civibus nostris sunt profecti. Ipse etiam D. Joh. Albertus eo abiisse creditur. Munitio urbi adjuncta, adhuc integra est, & milites in ea præfident. Bellum Danicum nondum est compositum, etiam si tractationes de pace sæpe à legatis Imperatoris sint inchoatæ. Plura occupatissimo scribere non debeo. Bene cum conjugè & tota familia vale & omnes tuos saluta. Rostochii, Cal. Maji, Anno 1568.

Nathan Chytræus.

Inscriptio:

*Viro pietate, sapientia & eloquentia clarissimo, D. Johanne
Marbachio Theologo præstantissimo, Domino & patrono ob-
servando.*

CXLIV.

*Salutem in Christo Jesu. Reverende & Clarissime Vir,
in Domino honorande & charissime frater.*

Literas tuas mihi exhibuit Ornatissimus vir, idemque frater charissimus, L. M. Florus, Collega vester conjunctissimus, quæ me plurimum perturbaverunt. Etenim ante paucos menses ex Amberga alias quoque accepi, quæ longè aliud de Wittebergenfibus pollicebantur, quam acta per te transmissa docent. Ideoque non sine causa doleo, tandem erumpere, quod tanto studio celarunt hæctenus, malum. Sed quid agamus? D. Brentius & ego devotè

LI 3

ravimus.